



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Missarvm iuxta decreta S. D. N. P. Urbani VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

An pro bonis patrimonialibus, ad quorum titulum fuit quis ordinatus detur electio fori iuxta mentem leg. vnic. C. quando Imper. inter pupill. & vid.

OMnes DD. passim affirmarunt Clerico competere beneficium electionis fori, de quo in l. vnic. C. quando Imperat. inter pupill. & vid. pro bonis Ecclesiasticis litiganti, perhorrescentiamque aduersarij alleganti, vt tradiderunt in cap. cum sit generale de foro competen. & scribit Felyn. in cap. cum Ecclesia S. Mariæ de constitut. col. 4. & in Regno est prouisum per specialem ritum M. C. V. 233.

Sed an id procedat vbi esset lis super bonis patrimonialibus, ad quorum titulum quis ordinatus fuit aliquando dubitatum, & consultus ego affirmatiuam sequutus sum sententiam, prout in proprijs terminis probauit Nouarius forens. quæst. 72. lib. 1. vbi firmavit in specie electionem fori esse concedendam Clerico litiganti pro eius bonis patrimonialibus, ad quorum titulum fuit ordinatus dans nouum intellectum ad dicta Rit. M. C. V. 228. allegat pro sua opinione, Petr. Duard. in explicat. Bullæ Cæne lib. 2. caus. 18. quæst. 5. num. 9. & iterum eandem sententiam sustinet in suo nouissimo tractat. de elect. & variat. fori quæst. sect. 2. in vltima impressione Neapolitana, vbi etiam ad id allegat Vrsil. ad addit. ad Afflict. dec. 257. num. 1.

Quæ opinio fallitur ex illa vulgata conclusione, quod bona patrimonialia gaudent privilegijs bonorum Ecclesiæ, Bald. de pace constant. in verbo Imperialis clementiæ vers. ex his apparet num. 17. Dec. in d. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ col. 9. num. 18. de constitut. Menoch. de recuper. possess. remed. 15. num. 21. quia talia bona dicuntur quædam præmia, & spirituales mercedes pro seruitijs Ecclesiæ exhibendis, gloss. in cap. Episcopus de præbend. Nauarr. conf. 12. de censibus, certum est Ecclesiæ competere priuilegium istud eligendi forum, Rebuff. in constitut. Galliæ rit. de sentent. prouisional. gloss. fin. num. 5. Andr. de Ifern. in constitut. Regni statuimus num. 3. de offic. Magistr. Iustitiar. Capic. decif. 160. prout & conceditur Clerico agenti pro rebus Ecclesiæ, vt supra firmauimus.

RESOLVT. XCIV.

- 1 Collectari non possunt bona patrimonialia Clericorum.
- 2 Grauantur bona patrimonialia incidunt in excommunicationem Bullæ Cæne.
- 3 Ecclesiastica personæ sunt immunes à collectis.

Bona patrimonialia Clericorum an sint exempta à solutione gabellarum, & collectarum, itaut illas imponentes, vel exigentes incidant in Canonem Bullæ Cæne.

IN decif. Cur. Archiep. 299. par. 2. satis fuit probatum bona patrimonialia Clericorum esse exempta à solutione collectarum, & gabellarum, quod etiam firmiter probant Graf. qui alios adducit concordantes in tract. de effectibus clericat. effect. 3. num. 129. & Macerat. var. resolut. lib. 1. cas. 88. Nouarius forens. quæst. 72. num. 5. lib. 1. vbi testatur sic expediri prouisiones per Regiam cam. Sum. in isto Regno.

Hodie autem restat ampliare eandem conclusionem, adeo esse veram, vt imponentes, & exigentes gabellas, & collectas, & alia similia onera pro bonis patrimonialibus ecclesiasticorum incidant in excommunicationem Bullæ Cæne Domini in canon. 18. ex communi Doct. sententia, quam sequitur Couar. sub pract. quæst. cap. 31. sub num. 9. Azor. institut. moral. lib. 5. part. 1. cap. 12. quæst. 2. Vgolin. in explicat. eius-

dem Bullæ can. 18. §. 3. Tolet. in explicat. eiusdem canonis lib. 1. instruct. Sacerdot. cap. 26. in princip. Sayr. in thesaur. cas. conscient. cap. 22. num. 9. lib. 3. affirmantes ecclesiasticas personas esse immunes à collectis, & alijs similibus oneribus non solum quoad ecclesiasticum, sed etiam quoad patrimonialia eorum bona, atque idem imponentes, & exigentes tales impositiones pro bonis patrimonialibus Clericorum incidunt in excommunicationem dicti canonis, vt per Alter. in explicat. dict. Bullæ can. 18. cap. 2. colum. 2. in fin. & colum. 7. Duard. in eod. loco lib. 2. quæst. 5. quos refert, & sequitur Nouarius lib. 1. forens. quæst. cap. 27. sub num. 5.

P R A X I S M I S S A R V M Iuxta decreta S. D. N. P. Urbani VIII.

R E S O L V T. XCV.

- 1 Suffragium Missæ vbiunque potest celebrari, sed non extra locum à testatore designatum, num. 2.
- 3 Voluntas testatoris loco præcepti est.
- 4 Voluntas defuncti non est mutanda, nisi ex vrgenti causa.

Missarum suffragia an celebrari possint extra locum à defuncto destinatum.

PRO ratione dubitandi videtur id fieri poss. quia diuinum, & sacrosanctum illud Missæ suffragium vbiunque potest celebrari, & vbiue celebratum animabus suffragari, & in æternam pacem, & salutem proficere iuxta illud D. Bernardi libro meditationum relatum in glossa magna post medium in clem. 1. de Reliq. & venerat. sanctorum ibi, vbiunque fueris extra te metipsum ora; si longè fueris ab Oratorio, non queras locum, & ex Diuo Gregor. in moral. animarum verba sunt ipsa desideria, in quibus tanto quis minus clamat, quanto minus desiderat.

Sed hoc non obstante contrariam sententiam amplectendam esse censeo; communis est sententia, & ab omnibus recepta, vt missarum suffragia celebrari non possint extra locum à defuncto electum, & destinatum, vt ex Nauarr. Syluest. & alijs, communem dicit Azor. lib. 10. institut. moral. cap. 24. versic. 8. & sic extat communis praxis, alias enim peccaret mortaliter alibi celebrando Rodriq. in summa cap. 5. num. 6. Homobon. de exam. Eccles. part. 1. cap. 13. quæst. 123. Graffius conf. vnic. n. 15. de patron.

Et eleganter ampliando Nauarrus in manuali cap. 25. num. 134. inquit missarum suffragia non posse extra locum à defuncto destinatum fieri ex eo, quia voluntas testatoris loco præcepti est, ex textu in l. cum proponebatur ff. de legat. 2. Surd. decif. 232. num. 5. & debet seruari quantum potest, l. non aliter, ff. legat. 3. Mantica de coniecturis vlt. volunt. lib. 3. tit. 3. num. 6. Decian. respons. 19. num. 2. vol. 1. etiam contra causam piam, & fauorabilem Mantica lib. 3. tit. 9. num. 11. Imò iacturam dicitur facere testamentis vel in minimo voluntas eius non seruetur, vt inquit eleganter, Bald. in cap. cum accessissent de constitut. quia vltima voluntas non pertinet ad arbitrium alterius, nisi ipsius testantis idem Bald. in l. 1. finalibus verbis C. quæ poenæ nomine, & dicit singularis textus in l. in his, ff. condit. & demonstr. sequentia verba.

In his, quæ extra testamentum incurrunt, possunt res ex bono, & æquo interpretationem capere: ea verò, quæ ex ipso testamento oriuntur, necesse est secundum scripti iuris rationem expediri, & illum interpretatur Sarmiento selet. lib. 1. cap. 8. num. 2. de scriptura ipsius testamentis, quæ legis loco habetur auth. de nuptijs S. disponat

§. disponat collat. 4. Clemen. quia contingit, de religio. domibus, & est textus bene perpenfus in capit. tres quidem de testamentis ibi, *et cuncta secundum voluntatem defuncti sine altercatione construere*, & voluntas defuncti non fuit obseruata in forma specifica prout requiritur auct. de iureiuran. a moriente praestito §. disponat collat. 5. cap. ult. voluntas 13. quaest. 2. plenè habetur in tractat. de paupertate quaest. 9. in 10. speciali a num. 1.

Insuper confert, nam non licet mutare voluntatem defuncti, nisi ex vrgenti causa, vt in l. legatum, ff. usufructu, leg. legatum, ff. de administrat. rerum ad ciuit. pertinent. leg. final. ff. operibus public. leg. vnica, cap. expens. Lud. lib. 11. vbi enarrantur aliquae causae, ex quibus mutatio permittitur, vt per Bart. in leg. legatum, imola in leg. 2. ff. condit. inst. Plarea in dict. leg. vnica, & hoc etiam procedit accersitis primoribus Ciuitatis, & haeredibus, & his, ad quos pertinet, vt ex alijs Bobadilla in sua politica lib. 3. cap. 5. num. 15. & plures, quos refert, & sequitur Molina de primog. lib. 1. cap. 8. num. 31. Pizel. de rescind. vend. 1. part. cap. 2. n. 8. Menoch. conf. 108. n. 66. lib. 2. Surd. conf. 862. n. 27. Valac. decif. 105. a. n. 28. lib. 2.

RESOLVT. XCVI.

- 1 Vbi appareat de deuotione testatoris in aliquo loco, ibi debet celebrari.
- 2 Legatum praesumitur factum intuitu legatarii.
- 3 Ex translatione facta de vna Ecclesia ad aliam, iura de vna ad alteram transeunt.

An si appareat testatorem non habere deuotionem, vt Missae celebrentur in aliquo Altari, possit vbique celebrari.

1 S testatorem mandet celebrari Missam in tali Altari, seu Cappella ad quam constat habere deuotionem non erit licita loci mutatio, Nauarr. in manual. cap. 25. num. 34. ad finem, vers. facellarij, Medic. in summ. de acquir. & conseruat. rerum domin. part. 3. glos. 2. num. 75. Ceualius quaest. 686. num. 6. vbi plures adducit pro hac opinione.

Licet alias cessante huiusmodi coniectura possit ram in vno loco, quam in alio Missa celebrari cum, vtroque modo satisfiat animae testatoris, cap. multi 4. dist. 10. Lapias allegat. 35. num. 4. Duen. reg. 234. & est decif. Rot. per Eminentissimum Cardin. Seraphin. 9. Octobris 1595. Bergomen. legati, vbi relictum monialibus de fine, vt celebrari faciant singulis diebus in dicta Ecclesia Missas pro remedio animae ipsius testatoris alias legatum deuoluitur si contingat illas transferri ad aliam Ecclesiam non poterunt priuari legato si in Ecclesia ad quam sunt translata Missa celebretur cum eodem modo succurratur testatoris animae in vno loco, quam in alio maxime, quia huiusmodi legata praesumuntur fieri intuitu legatarii, l. patre filium, §. tusculanus de legat. 3. Co-uarr. in cap. requiri dist. 10. de testament. Nouarius de priuileg. miserabil. personar. priuileg. 20. & fauore Sacerdotis, Petrus de Vbald. de canon. port. cap. num. 57. Card. Mantica de coniectur. ult. volunt. lib. 12. tit. 17. & ult. num. 30. Cephal. conf. 216. num. 17. cum sequente lib. 12. & cum fuerit dictum in Ecclesia Monialium talis dicitur ista ad quam fuerunt translatae prout alia Bar. confil. 26. num. 3. lib. 1. vbi de Ecclesia edificanda in domibus testatoris, quae poterit edificari in aedibus permuratis Soccin. iun. conf. 162. num. 22. & 26. lib. 2. & quia facta translatione ab habente potestatem omnia iura pertinentia ad Ecclesiam ea translata spectant ad illam in quam fuit translata capit. & hoc diximus 16. quaest. 7. Ioan.

Andr. in cap. cum persona colum. 2. de priuileg. in 6. Lap. allegat. 68. cum alijs de quibus in dicta decif. Rot. per Card. Seraphin.

RESOLVT. XCVII.

- 1 Missa quando celebranda sit in loco sepulturae.
- 2 Absurdum est vnum habere commodum, & alium incommodum celebretur.
- 3 Legata propter merita relinquuntur.
- 4 Legatum factum Ecclesiae, debetur Parochiae, in qua residet testator.

Vbi testator non designauit locum certum, vbi Missarum suffragia celebranda sint, in quo loco celebrari debeant.

1 I N facti contingentia iudicauimus, quod quando testator non designauit locum certum, vbi Missarum, suffragia celebrentur celebranda sint in loco, vbi iussit se sepelli, vt optime consuluit Abb. videndus conf. 99. num. 4. lib. 2. vers. circa secundum dubium, est enim maxime conueniens, quod vbi sit onus, ibi etiam lucrum collocetur, nam & absurdum videtur alium habere commodum, & alium onus substinere, legis, qui in potestate, §. vltim. ff. de legat. praestand. leg. 2. §. pro secundo, Cod. caducis tollendis, & laboribus industria, & diligentia frustari maximum absurdum est inquit Decianus responsio 36. numer. 46. lib. 1.

Et faciunt etiam probabiles, & vrgentes coniecturae, quia aequitas suggerit, vt illi Ecclesiae, quae sustinet onus sepulturae testator legare voluerit gratia remunerationis, quia & legata propter merita relinquuntur, leg. nec adiecit, ff. pro socio, & semper in dubio debemus inspicere, quod verisimilius est, vt in regula inspicimus in obscuris de regul. iur. in 6. Menoch. confil. 230. num. 89. & confil. 260. num. 34. & verisimile est imò credibile, quod testator senserit, vt missarum suffragia pro eius anima celebrentur, vbi est eius Cadaver, & quia etiam honestius est, quod ibi praes fundantur, vbi est sepultura ex glosa notabili in capit. graui 13. quaest. 2. & facit illud Palmista, & sepulcra eorum domus illorum in aeternum.

In Hispania verò aliud in hoc casu stabilitum esse legitur, vt scilicet quando testator extra suam Parochiam sepultus est dimidia pars missarum dicatur in Ecclesia, aut Monasterio, vbi est sepultura, alia verò dimidia dicatur in eius Parochia, quod factum est magno cum iudicio, & ad sedandas discordias, quae quotidie oriebantur, in quo conducunt, quae deducit Mantica de coniect. vltim. volunt. lib. 8. tit. 6. a num. 1. & praefertim, est textus celebris in authent. de Ecclesiasticis titulis, §. si quis autem in nomine Domini collat. 9. & adde aliam legem singularem, in leg. quae conditio, §. cum in testamento, ff. de condit. & demonstrat. vbi firmat Bart. quod relictum factum Ecclesiae aliter non specificatae, nec declaratae intelligitur factum Ecclesiae, cuius Parochianos est ipse testator, & quae eleganter Ias. in §. ex maleficijs n. 46. insit. actionibus.

RESOLVT. XCVIII.

- 1 Stipendium succedit loco candelarum, & vini.
- 2 Haeres in dubio, quam minus grauatus censetur.
- 3 Onus adiectum legato censetur impositum legatario.
- 4 Legatarius praesumitur magis dilectus, quam haeres in re legata.

An

An Sacerdoti cui à testatore designatus est numerus celebrandarum missarum cum certo stipendio debeant ei dari candelæ, & alia necessaria.

Dicebam in casu proposito minimè eidem Sacerdoti esse danda necessaria ad celebrationem, quia stipendium succedit loco ipsarum, ut probat Bald. conf. 25. vol. 2. & facit, quod voluit Phebus decis. 100. tom. 1. ubi quod Sacerdos suis expensis celebrare debeat, & primo, quia hæres in dubio in minus, quam possibile est semper grauatus censetur, leg. nummis ff. legat. 3. l. si ita scriptum in fine ff. de legat. 2. Coulib. 2. variarum cap. 5. nu. 10.

Secundo, quia onus adiectum legato semper censetur impositum legatario, non verò hæredi leg. codicillis vers. respondi ff. usufructu leg. Peregrin. de fidei commissis art. 12. n. 4. licet regulariter in re legata ille præsumatur magis dilectus, quam hæres, l. si quis eum, & ibi Bal. ff. de condit. & demonstrat. cum alijs, de quibus Nouarius in Tra. de priuilegijs miserabilium personarum priuileg. 100. nu. 8.

Tertio, quia omnis ille, qui propter emolumentum cuiusdam concessionis tenetur aliquid facere suo sumptu tenetur aliud expedire l. suo sumptu ff. de oper. li. Bart. in l. & si non sortem ff. si libertus nu. 34. & ibi Iaf. nu. 32. ff. de condit. indeb. Carroc. de locato titulo de sumptibus in operando à nu. 1. p. 2.

Sed hæc tamen intelligenda sunt, si legatario, aut grauato nihil, aut parum restaret de legato factis his, & similibus expensis, quia licet regulariter transeat onus in legatarium, hoc tamen est nisi illud onus sit ingens, quod extenuet, ex dicta l. qui concubinam §. qui hortos, & ibi gl. magistra. ff. delegat. 3. Garzia de expensis c. 11. n. 6. Craff. commun. §. legatum q. 37. n. 2. Castil. lib. 1. de usufructu c. 56. n. 18. Surd. decis. 28. n. 7. Mantie. de coniecturis vltim. voluntat. tit. 1. nu. 6. lib. 10. & facit l. pro locis, & l. mediterranea, & quæ ibi notantur C. de annon. & tribut. lib. 10. & quæ Auen. dan. in casu simili de exequendis manda. c. 19. nu. 5.

RESOLVT. IC.

- 1 Oratoria publica non eriguntur absque licetia Episcopi.
- 2 Licentia limitata pro erectione oratorij solet dari per Episcopum, ita ut si deinde in illo velit celebrari missa, de nouo alia licentia sit petenda.

Missæ an possit celebrari absque licentia in publicis Oratorijs, in quorum erectione interfuit licentia Episcopi.

Quod nulla requiratur licentia percipitur ex Verbal. in decis. Rotæ in verbo Missa ubi potest etiam dici Missa in Oratorijs publicis siue eremitorijs etiam sine licetia Episcopi, ratio est, quia talia oratoria, siue eremitoria publica erigi non possunt sine licetia Episcopi, gloss. 1. in c. Autoritate de priuileg. li. 6. Cepolla cautela 211. & Cardin. confil. 11. & tunc enim eriguntur, data licetia ab Episcopo, ut in tali loco sub inuocatione talis Sancti possit constitui eremitorium, & ibi erigi altare; nõ mirum, ergo si ibidem possit dici Missa sine alia noua licentia. Et pro hac opinione facit, quod notat Panormit. in c. fin. num. 13. de consecrat. Eccles. vel altar. ubi inquit, quod ex quo locus à primordio est deputatus ad diuinas laudes non exigitur alia licentia, & licet ibi Abb. loquatur de Basilicis, siue Ecclesijs nondum consecratis, nec benedictis, tamen idem dicendum est de istis Oratorijs publicis, quippe etiam eriguntur non solum ad orandum tantum, ut priuata Oratoria, sed etiam ad ibi Missas celebrandum, ut constet ex erectione altaris, quod solet semper in talibus Oratorijs erigi. Solent tamen con-

cedi licentiæ limitatæ pro sola ædificatione Oratorij, & tunc requiruntur nouæ licentiæ Episcopi, pro celebratione Missarum, & in illis committitur benedictio ipsius Oratorij iuxta Rituale Romanum.

RESOLVT. C.

- 1 Missa celebratur antiquitus cum sola licentia Episcopi in priuatis Oratorijs, hodie verò requiritur licentia Papæ num. 2.
- 3 Missa non potest celebrari in Oratorijs priuatis absque licentia, & qualiter concedantur ista licentia nu. 4.

Licentia Sum. Pont. celebrandi missas in priuatis Oratorijs, in quibus, & qualiter concedatur.

Pro cognitione veræ praxis animaduertendum est, quod licet de iure antiquo sufficeret ad id sola licentia Episcopi cap. Missarum capit. Clericos de consec. dist. 1. & cap. in his de priuilegijs, ubi Abbas num. 2. dici communem videlicet Episcopum posse in suo Episcopatu concedere licentiam celebrandi extra locum sacrum etiam in priuatis domibus cum altari portatili, ut ita seruari in vniuerso terrarum orbem testatur Clar. lib. 5. q. 79. n. 4. & ita videri seruari hodie tamen post Concil. Trident. solus Papa potest concedere præfatas licentias, & priuilegia, ut bis rescripsit Congregari Concilia, & ita fuit sancitum per Paulum V. bonæ memoriæ, ut per Viuiam. de iur. patronat. par. 1. lib. 3. c. 22. Et vide Nauar. cap. 25. num. 82. Ratio est, quia per Concil. Trident. sess. 22. cap. de obseruan. sacris. Missæ fuit prohibitum ne vilo modo diceretur Missa in priuatis domibus, & consequenter fuit sublatæ Episcopis facultas dandi licentiam, ut in priuatis oratorijs in priuatis domibus constructis, & multo minus in cameris, & cubiculis alijsq; altaribus priuatis Missæ celebrantur. Est ergo necessarium, ut a Papa qui est supra Concil. prædicta priuilegia, & licentia impetrentur, quod procedit non tantum quoad priuatos, sed etiam quoad quoscumque etiam Principes, & Episcopos, ut rescripsit Congreg. Concil. resp. mihi 925. & 841. cum seq. & de dominis Cardinalibus testatur Nauar. ubi supra; Præfate autem licentiæ solent concedi non solum ab ipsomet. Papa per Breue, sed etiam à quibusdam Nuntijs Apostolicis eadem concessio facta fuit aliquando, solent tamen concedi diuersimodè cum quibusdam limitationibus & conditionibus, & ex causa puta ob ætatis, & valetudinis incommoda, ut respons. mihi 112. & ob necessitatem, ut respons. mihi 82. & 392. & aliquando, ut semel tantum in hebdomada dicatur, ut respons. 503. & interdum, ut illis sanis non permittatur ibi audire Missam, ut respons. 356. & ut ab Ordinarijs designentur, & visitentur oratoria in quibus Missa dici debet, & vide ad materiam decis. nostram 78. Cur. Archiep. par. 4.

Est etiam aduertendum præfata Priuilegia dupliciter concedi vno modo restricta ad certum oratorij, quæ passim conceduntur alio modo non restricta, sed ut ubique possint celebrare, vel efficere ut celebrentur, quæ solum Cardinalibus, & quibusdam ex magno favore conceduntur teste Nauar. in Man. c. 15. num. 81. & ita huiusmodi priuilegia simul sunt personalia, & localia.

RESOLVT. CI.

- 1 Consecratio Altaris est necessaria.
- 2 Solemnitates, quæ requiruntur in consecratione Altaris.
- 3 Reliquiæ alicuius Sancti sunt reponende in Altari.

Missarum

Missarum celebratio vt Ritè fiat Altare, quibus ceremonijs consecrandum est.

Est animaduertendum pro dicendorum intelligentia non solum in Ecclesijs, & locis Deo sacratis Missæ sacrificium peragendum esse, sed etiam in altari consecrato adeo vt licet Episcopus possit dispensare in primo nõ tamen in secundo; Nec vlla necessitas ad id sufficeret ita Archidia. in c. licet non alij de conse. dist. 1. Nec vquam vidimus Papam in hoc dispensare, & sic magis necessaria est consecratio altaris, quã consecratio Ecclesiæ, vt docet Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. ar. 3. quod autem in altari consecrato sit necessario celebranda Missa, probat text. in cap. nullus præsbyter, & in c. Concedimus, & in c. Altaria de consecrat. dist. 1. latè Mochar. de sacrific. Missæ c. 11. DD. in c. in his de priuileg. & in c. fin. eodem titul. lib. 6. Abb. in rub. de consecrat. Eccles. vel altar. Nec autem altaria in primitiua Ecclesia erant lignea, vt portari possent propter processiones, sed à tempore Syluestri. Papæ sunt lapidea, siue sint portabilia, siue immobilia, vt docet Palud. in 4. dist. 13. quæst. 2. addens licet altare portatile debeat esse lapideum, tamen altare, super quod ponitur altare portatile non refferre, vtrum sit ligneum, vel lapideum, vtrum mensa ostium, vel fenestra.

Tam vero quibus ceremonijs debeat prædictum altare consecrari, ponit Pontif. Roman. 2. p. c. 3. quas omnes sigillatim explicat Turcrem. dist. c. Altaria, in secundo, & rationale diuin. lib. 1. c. 7. a. n. 3. & Selua de benefic. r. par. in 6. requisito in benefic. & Ecclesia, & inter eas hæc quoque est, vt scilicet reliquæ alicuius Sancti reponantur in altari siue fixo, siue portatili, vt probat text. in cap. placuit de consecrat. Eccles. dist. 1. & in Pontificale rit. de consecrat. altaris portatilis, quod intellige vbi commodè prædictæ reliquæ haberi possunt, vbi autem reliquæ Sanctorum, faciliè haberi non possunt, non est necessarium, vt recondantur, siue in fixo altari, siue in portatili, ita post Soto in dist. 13. quæst. 2. artic. 3. col. 16. aduertit Bultus in lectura dist. c. nullus Præsbyter: anno 1592. Salmantice, & summa in Asten. Hugo. apud Angel. & Sylu. licet eidem Synestro non placeat.

RESOLVT. CII.

- 1 Refertur declaratio Sacræ Congregationis circa articulu.
- 2 Cappellania quando non dicitur Sacerdotalis.
- 3 Dicitio (ipse) personalitatem ostendit, & omnes alias excludit num. 4.

Missa an sit celebranda per Cappellanos personaliter, Ita vt ad id cogi possint per Episcopum, vbi in fundatione positum est, quod Cappellani celebrent.

Accidit, quam sæpius fundari Cappellanas, & in illis imponi onus, vt Missæ celebrentur per Cappellanos, quare vbi Cappellani intendant per alios facere celebrare missas Episcopi locorum Ordinarij solent esse renitentes, imò scio aliquos in facto fecisse, præceptum huiusmodi Cappellanis, quod personaliter seruirent, & quia grauati ad me iuxta solitum ad consultationem petendam multi accessere, dicebam Episcopum non potuisse compellere Cappellanos, vt per se ipsos celebrarent, non obstante quod in fundatione esset appositum, quod Cappellani celebrent.

Quæ mea opinio fundabatur in declaratione Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium, cuius tenor est, vt sequitur videlicet.

Episcopus non potest compellere obtinentem Cappellā, vt ipsemet celebret, licet in eius fundatione disponatur, Aloys. Ricc. Prax. Pars IV.

quod Cappellani celebrent, nam istis oneribus Missarum rectè per substitutum satisfi.

Et eandem opinionem approbarunt Piaseg. in pra. xi episcop. c. 3. art. 5. num. 4. part. 2. & Homobon. in exam. Eccles. par. 1. tract. 4. c. 13. quæst. 122.

Pro qua sententia facit nam Cappellania non dicitur sacerdotalis, nec actus, nec aptitudine, si in fundatione dictum sit Cappellanus debere celebrare missas, de qua materia latè Nouarius quæst. forens. 115. l. 1. cum non sit verisimile, quod in tali casu voluerit se attare magis ad missam vnius, quàm alterius, vt per Lap. allegat. 35. videntur enim tunc illa verba appposita ad demonstrandum onus impositum celebrandi, & non personam celebrantis. Rota in Tiratonen. Cappellaniæ 9. Iunij 1630. coram Reuer. P. D. Sacro, & in Lucana Cappellæ 12. Decembris 1593. coram Eminentissimo Cardinali Pamphilio, & alijs sæpius.

Decleara tamen supradictam opinionem non procedere quoties in fundatione Cappellaniæ esset appositum, quod Cappellani per seipsos celebrent, quia tunc videtur electa industria personæ, & personaliter inferuire tenentur, nec opera substitutorum vti possunt: certum est enim, quod nisi expresse caueatur à testatore, quod Sacerdos per se ipsum hoc agat semper potest per alium celebrare, aliàs secus, vt videri potest apud Gonzal. in Regul. 8. Cancellariæ gl'of. 8. num. 84.

Vbi enim dictio ipse subintrat, personalitatem denotat, & attendit, Menoch. consil. 390. num. 12. Cened. singul. 22. vbi etiam quod ista dictio est personalissima, ita vt omnes alios excludat. Rota decisio. 519. num. 3. tom. 1. part. 1. quia ad alios referri non potest. Surd. consil. 53. n. 7. quia illa facit semper actum personalem.

RESOLVT. CIII.

- 1 Stipendium Missæ potest taxari per Episcopum. & augeri n. 2. etiam ad valorem illum, pro quo credi potest posse reperiri Sacerdotes, num. 4.
- 3 Valor caroleni pro iusto stipendio solet dari de consuetudine.

Missarum stipendia, an Episcopus in sua Diocesi minuire, vel augere possit.

Sæpe sæpius solent locorum Ordinarij augere, vel minuire taxam stipendij missarum, quare Cappellani, vel patroni beneficiorum grauati, solent se cõqueri, ideo vtile est scire si id iure ab Episcopis fieri possit, de quo multoties fui consultus, & semper voce dixi posse Episcopum in sua Diocesi rationabilia, & sufficientia missarum stipendia taxare, vt per Aragon. de iustit. & iure quæst. 85. art. 3. col. 32. vers. dico secundo. Suarez de censur. to. 3. disp. 86. sect. 2. concl. 1. Rodriq. in sua summa par. 1. c. 250. concl. 4.

Quinimò quando missæ concursus ita excedit numerum Sacerdotum, qui inueniri possunt ad suppleendum, potest Episcopus missarum elemosinam augere etiam vique ad duos carolenos, licet quotidiana, & ordinaria pitantia sit vnius caroleni. Megallius consil. cas. conscient. 54. n. 8. qui in consil. 63. circa hanc materiam hæc protulit, quæ sequuntur. Non potest Episcopus sine peccato iniustitiā cõcedere Parochis, alijsque Sacerdotibus, quibuscumque, vt pro missis quotidianis dicendis vltra consuetam elemosynam, quam aliquis fidelis dat aliam cõsimilem elemosynā ab alio fidei recipiant, nam facere nõ potest, vt quod alicui de iustitia ex natura rei est debitum illi non debeat, sed de iustitia Sacerdos, qui pro missa dicenda sufficientē elemosynam accepit, ex natura rei integrā illā portionē satisfactionis, quæ illi vt ministro publico

publico ad applicandum commissum est, applicare tenetur, ut probat Suar. tom. 3. disputat. 86. sect. 1. alioquin mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur, ut dixit Nauar. lib. de restitut. c. 2. num. 263. Cord. qui testat de commun. lib. 1. q. 93. sequitur Rodriq. in p. 1. l. 1. m. 2. c. 250. num. 4. Aragon. de iustit. & iur. quæst. 85. art. 3. colum. 28. versic. dico secundo; ergo sine iustitia statuere non potest Episcopus, ut pro vna missa ab vna, vel diuersis personis, duas iustas elemosynas Sacerdotes recipiant: Etiam illam esse iustam elemosynam censeo cum Suar. in dicta disputatione 86. sect. 2. concl. 2. quæ communi consuetudine communiter recepta est, & approbata à viris prudentibus, & Deum timentibus; & communis Italiae nostræ consuetudo à viris prudentibus, & Deum timentibus communiter recepta, & approbata est, ut valor caroleni pro iusto missæ stipendio detur.

Fateor tamen posse Episcopum missarum stipendia augere usque ad valorem illum, quo probabiliter credi potest, Sacerdotes facile fore inueniendos esse, quod celebrent, potest enim Episcopus in sua Diocesi hoc agere, & rationabili causa, ut affirmat Aragon. vbi supra colum. 32. versic. dico secundo. Suarez in dicta disp. 86. sect. 2. conclus. 1. & sentit Rodriq. in loco supra citato conclus. 4. quam tassam promulgatam, si quis non seruaret, sed minorem elemosynam pro missa dicenda daret, tunc possent Sacerdotes ab eodem, vel à diuersis tot elemosynas pro vna missa accipere, quod ad taxatum stipendium sufficerent, quia tunc, qui minorem elemosynam daret, iniuriam Sacerdoti faceret, à qua se indemnem seruare potest absque iniuria dantis elemosynam, quia lex pro ipso Sacerdote, interpellat, & iure suo vitur, & ita tenet in dicta disput. 86. sect. 4. & faciunt ea, quæ dixit Sot. lib. 9. de iust. quæst. 3. art. 1. circa finem, & in quantum dist. quæst. 2. artic. 1. in fine. Can. lib. 12. de loc. Theologicis cap. 13. ad 10. Ledesm. de Sacros. Eucharist. cap. 18. conclus. 14. Arag. vbi supra colum. 29. versic. his tamen.

RESOLVT. CIV.

- 1 *Voluntas testatoris tanquam Regia est seruanda.*
- 2 *Episcopus quando dispenset circa recitationem Missarum de vno loco ad alium.*
- 3 *Ordinarius potest viuere, diuidere, & de nouo creare beneficia.*

An Episcopus possit dispensare, ut missa commissa à testatore celebrari in certo loco, alibi celebraretur.

Dicit DD. primo loco id minime licere Episcopo, siquidem non posset mutare voluntatem testatoris præcipientis missarum celebrationem in certo loco, & latè traditis per Couar. & alios in c. nos quidem de testamentis, voluntas enim vltima tanquam Regia obseruanda est, l. in conditionibus ff. de conditionibus & demonstrationibus, latissimè Phelus decis. 57. & in decis. 63. Nouarius de privilegijs miserabilium personarum priuileg. 71.

Verum in contingentia facti contrarium consilui distinguendo, quod aut adest legitima, & rationabilis causa id concedendi, & poterit dispensare, ut voluit Medina de confession. folio 188. quæst. 14. quem refert, & sequitur Bal. in summa casuum conscientie v. missa q. 33. ratio est secundu n eisdem, quia in institutione missarum attenditur magis fructus anime fundatoris, quam loci veneratio, ut voluit pariter Bald. consil. 23. volum. 1. & Alex. de Neno consil. 27. n. 77. & propterea impedita cappella, vel altari est supplendum alibi circa missarum celebrationem, vide decis. nostram 21. par. 4. Cur. Archiep.

Aut verò nulla subest causa, & licet videretur concludendum pariter posse, siquidem certissimi iuris est Ordinarium posse viuere, & diuidere, & de nouo creare, & extinguere beneficia inferiora sui Episcopatus c. sicut venire de excessibus Prælatorum c. primo de rebus Ecclesiæ non alienandis, & potest alia maiora, de quibus Nauar. in consil. 2. eodem titulo, ergo & minora nempe, ut supra, missarum celebrationem in vna Ecclesia præceptam à testatore, ad aliam transferre non est illicitum ex causa aliqua iusta, & rationabili, ut in specie notat post alios Bonacin. de Sacramentis disp. 4. quæst. vltima punct. 7. §. 4. nu. 4. ut alios amittam. Nouissimè autem Moneta, de commutatione vltimarum voluntatum quæst. 11. c. 5. n. 394. & c. 10. n. 348. distinguitur an sit simplex cappellania, an vero beneficium, ut per eum.

RESOLVT. CV.

- 1 *Altari seruiens de altari viuere debet.*
- 2 *Cessante causa cessat effectus.*
- 3 *Incomodum cum aliquo comodo est compensandum.*
- 4 *Qualitas dispositionis vbi deficit, cessat dispositio.*
- 5 *Mutatione status mutatur conditio rei.*

An vbi redditus sunt inexigibiles, teneantur Beneficiati missas celebrare.

Multoties occurrit, quod redditus pro destinata celebratione missarum sunt inexigibiles, unde beneficiati non solent missas celebrare, & in visitatione a locorum Ordinarijs vexantur, & quia pluries circa id à pluribus regionibus, id tanquam tota die contententibus fui consultus, dicebam in fauorem beneficiatorum ex regula, quod qui altari seruit de altari viuere debet, ut vulgo circumferri solet.

Et cessante pitantia data pro missæ celebratione cessare debet, & celebratio tanquam cessante causa, cesset effectus, adigere §. quamuis ff. de iur. patron. maxime quando causa est finalis rei, prout respectu celebrantium non deuotionis gratia, sed sub spe futurae munerationis, Euerard. in topica legali c. 89. quod procedit etiam in foro animæ, Tiraquell. in tract. de cessante causa p. 1. num. 18. sublata inquam causa dicitur sublatus effectus, tutores ff. de administr. tutor. cum illa dicatur principium intentionis. Bal. in l. eam quam cod. 1. Cod. de fideicommissis. dicaturque substantia, glof. in l. iuris gentium §. quod fere ff. de pactis per restitut. ad extrauagant. ambitios. de rebus Ecclesiæ non alien. n. 27. & 28. pag. 94. si enim sciuisent Beneficiati, vel Cappellani redditus fore inexigibiles vti, que non se ingessissent.

Et facit pro comprobatione regulæ, quod incommodum aliquo comodo est compensandum l. 1. §. fin. ff. de aqua pluui. arcend. vti contra omne commodum cum suo onere pertransit. leg. cum fisco ff. ad Syllan. & incomoda illum sequi debent, quem & comoda sequuntur. Nouarius forens. quæst. lib. 1. c. 113. n. 7. vnde cum Beneficiatus comodum stipendij sentire non possit, neque ad missæ recitationem tenebitur, in tantum enim videtur grauatus celebrare, in quantum redditus sunt sufficientes, & correspondent, ac secus si fructus sint inexigibiles, quia censendum est Cappellanos non se fuisse obligatos in tali casu, ex regula, quod omnis actus est intelligendus re in eodem statu permanente, Nouarius in praxi elect. & variat. fori quæst. 10. num. 16. lect. 2. antiqua impressione Neapolitana, Marta. de clausul. p. 1. claus. 127. quasi quod qualitas dispositionis vbi deficit, cessat & ipsa dispositio, glof. in l. m. cipia in verbo auocandum C. de seru. fugit. Menoch. de præsumpt. l. 6. quæst. 15. n. 47. mutatione status, mutatur & conditio rei, cū qualitas noua adueniens en-

ti reponat illud in diuersam speciem §. præterea in-
stit. de inutil. stipul. c. cum Marthe §. quæsiuit de ce-
lebrat. missarum.

Quare cōcludendum est obligatum missas recitare
teneri ad celebrandum pro ratha fructuum, quos exi-
gere potest, aduertendum, quod si fortasse redditus
essent exigibiles, sed cum difficultate excusarentur,
quia tenetur facere omne posse, & adhibere possibi-
lem diligentiam pro perceptione, & exactiōe, alias
tenerentur in conscientia celebrare, & si redditus non
habeant, cum supradicta debeant intelligi quando
fructus omnino sunt inexigibiles, & habentur, ac si
non essent in rerum natura.

DECLARATIONES ALIQVÆ SACRÆ
Congregationis S. D. N. Urbani Papæ VIII. au-
thoritate editæ super Decretis eiusdem Con-
gregationis de celebratione Missarum.

Super primo Sacræ Congregationis decreto de cele-
bratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi
Diocesana Synodo, aut Generales in Capitulis Ge-
neralibus, vel alias quoquomodo reducant onera,
vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Conci-
lium imposita, aut in limine foundationis.

Queritur, quid si legatum sit ita tenet, vt non sit,
qui velit onus illi iniunctum subire, & si recurrendum
sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris,
totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis
ad id necessarijs?

Et quid, si permittatur Episcopo in foundatione, vt
possit huiusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo eiusdem Congregationis
decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Missæ, quot
ad rationem tributa eleemosynæ præscriptæ fuerint.

Queritur, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelli-
genda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab
Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit eleemo-
synam cōgruam iuxta qualitatem loci, personarum,
ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium
minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente
præscriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas cele-
brare ratione beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii,
possint etiam manuales eleemosynas, pro Missis
votiuis, aut defunctorum, recipere, & vnico Missæ sa-
crificio vtrique oneri satisfacere?

Quintò,posito, quòd Testator relinquat, vt celebrè-
tur pro eius anima centum Missæ, absque vlla præscri-
ptione eleemosynæ: Queritur, an liberum sit heredi-
bus, eleemosynam sibi bene visam præscribere, an
verò eadē eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

Sextò, super tertio Congregationis decreto, in quo
eadem Congregatio reuocat Priuilegia, quibus indul-
getur, vt certarum missarum, vel anniuersariorum
celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus
plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis
satisfat.

Queritur, an verba (in futurum suscipiendis) intelli-
genda sint de oneribus suscipiendis post Priuilegium?

Septimò, super quarto eiusdem Congregationis
decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui missam susce-
pit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem
Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta,
celebrandam committat.

Queritur, an permittendum sit Administratoribus
Ecclesiarum, vt retineant aliquam eleemosynarum
portionem pro expensis mantentionis Ecclesiæ, Al-
rarium, inferuentium, paramentorum, luminum,
vini, hostiæ, & similia.

Octauò, an hoc decretum habeat locum in benefi-
cijs, Ricc. Praxis, Pars IV.

cijs, quæ conferuntur in titulum, idest, an Rector be-
neficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sa-
cerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redi-
tuum beneficii?

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquandò offertur
eleemosyna maior solita pro celebratione Missæ, de-
beant dare eandem integram eleemosynam ijs, qui-
bus Missas celebrandas committunt: An verò satis
sit, vt dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Vndecimò, super quinto eiusdem Congregationis
decreto, quò inter cætera statuitur in hæc verba (ele-
mosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis
celebrandis) ita demum idem accipere possint, si on-
eribus antea impositis, ita satisfecerint, vt noua quæ-
que onera obire valeant; Alioquin omnino abstineant ab
huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblati, in futu-
rum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Queritur, an hoc decretum prohibeat absolutè,
quo minus accipiant nouas eleemosynas ii, qui acce-
ptis non satisfecerunt: & si congruo tempore possint
omnibus satisfacere?

Duodecimò, quid, si offerens eleemosynas, audito
impedimento, consentiat, vt Sacerdos Missam cele-
bret cum primum poterit?

Decimotertiò, an poena interdicti, & aliæ appositæ
in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt ele-
mosynas contra formam ibi præscriptam, quam eos,
qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs, vt ibidem præ-
cipitur?

Decimoquartò, an in hoc decreto comprehendā-
tur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesijs in die
commemorationis omnium defunctorum, & vulgò
dicuntur (Casse de Morti)?

Decimoquintò, an Administratores Ecclesiæ ma-
gnæ deuotionis, & concursus possint eleemosynas
pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis non
nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias
cultus Ecclesiæ, & deuotio, ac concursus fidelium, vt
aiunt, minuantur?

Decimosexto, quia prohibitio dicti decreti videtur
aliquibus directæ solis Capitulis, Collegijs, Societati-
bus, Congregationibus, necnon omnibus, & singulis
Ecclesijs, & priorum locorum, tam Secularium,
quàm Regularium, Superioribus, de quibus fit expres-
sa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamē
comprehendi videntur sub clausula generali (& alijs
ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna decla-
ratione?

Decimoseptimò, super septimò eiusdem sacrae
Congregationis decreto, quo cauetur, vt in singulis
Monasterijs Religiosorum præfigatur numerus, qui
ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè
possit sustentari.

Queritur, an vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim
similis decreti san. mem. Pauli V. absque tamen com-
putatione reddituum cuiusque Religiosi, sit denuò fa-
cienda, nec ne?

Decimooctauò, an nouitij, ad habitum Regularem
admissi, possint admitti ad professionem in Monaste-
rijs, in quibus habita, vt suprà præfixione numeri,
commodè ali non possunt?

Decimonono, super vltimo, quo cauetur, vt nullibi
recipiantur conuentus regularium, nisi præter alia ad
id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere, &
competenter sustentari valeant, ita vt alioquin sub-
sint iurisdictioni ordinariæ.

Queritur, an hoc decretum, quod videtur editum
in ordine ad celebrationem Missarum recipere, com-
prehendat eas religiones, quæ non consueuerunt one-
ra Missarum recipere, vt sunt Religiones Capuccino-
rum, ac Societatis Iesu?

Vltimò, an idem decretum, vbi disponit, vt nullibi
recipian-

recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, auctoritate sibi à Sanctiss. D. N. attributa, ad singula dubia superius proposita, ad hunc modum respondit, videlicet.

Ad primum, & si legatum sit adeò tenue, nihilominus, pro reductione oneris, ut supra impositi ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuer, quod magis in Domino necesse indicauerit. Veruntamen si in ipsa beneficij erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo iniunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc foundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & obseruandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione, facta ab eo, qui elemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens elemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot missas celebrari debere, quot præscripserit, Ordinarius secundum morem suæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu cappellæ, legati, aut salarij, si elemosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.

Ad quintum, censuit, vbi nullam certam elemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam elemosynam congruam, quæ respondeat oneribus. Missarum celebrandarum, secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad sextum, ita esse intelligenda.

Ad septimum, respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum administratores, ex elemosynis Missarum celebrandarum vllam, ut cumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habeat redditus, quos in vsum earundem expensarum erogare licitè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut expensis, quæ super sunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missæ celebrentur, quot præscriptè fuerint ab offerentibus elemosynas.

Ad octauum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector beneficij, qui potest missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti elemosynam congruam, secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in foundatione ipsius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere absolute integram elemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem sibi retinere posse.

Ad vndecimum, respondit, non prohibere absolute: Ac propterea, & si oneribus tam susceptis non satisfecerint, posse tamen noua etiam onera suscipere missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad duodecimum, quamuis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens elemosynam pro aliarum missarum celebratione, id sciatur, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quo minus eo casu elemosyna accipiat pro iisdem missis iuxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad decimum tertium, has pœnas non habere locum,

nisi in suscipientibus onera perpetua missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel eius generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimum quartum, comprehendit.

Ad decimum quintum, non posse, nisi de consensu eorum, qui elemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad duodecimum.

Ad decimum sextum, comprehendit etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimum septimum, numeri præfixionem esse iterum faciendam seruata forma vltimi decreti hac de re editi.

Ad decimum octauum, esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio eiusdem Religionis esse collocandos, vbi commodè ali possint.

Ad decimum nonum, censuit comprehendere.

Ad vltimum, habere locum etiam extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Locus ✠ sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secret.

PRAXIS EXEMPTIONIS, & exemptorum.

RESOLVT. CVI.

- 1 Qui non habet iurisdictionem, nec destruere institutionem in exemptos, non potest eorum beneficia conferre.
- 2 Beneficia exemptorum, non censentur reseruata.
- 3 Quando collator negligens in conferendis est exemptus, potestas conferendi deuoluitur dumtaxat ad Papam.
- 4 Reseruatio est odiosa, & non extenditur, nisi ad casus expressos.
- 5 Ante vocationem est prohibita collatio.
- 6 Limitatio ad regulam, illius est destruere, cuius est destruere.

An beneficia exemptorum, vel Episcoporum vacantia, per eorum obitum sint affecta.

Causa huius conclusionis est in beneficijs exemptorum ab Ordinarijs, & soli Sedi Apostolicæ immediate subiectis, quales Episcopi; & tunc est dicendum, quòd quoniam regulariter eius est conferre, & construere, cuius est destruere, & priuare cap. 1. de Capellis Monachorum cap. quod in dubijs de renunciatione; & ideo sicut Ordinarius non habet destructionem, nec iurisdictionem in exemptos; ita nec conferendi potestatem beneficia exemptorum. capit. finali de renunciatione, vbi probatur, quòd non tenet resignatio, seu renunciatio ab exèpto in manibus Ordinarij facta sine licentia Papæ, Rota decif. 4. nu. 2. de renunciatione in antiquioribus Besigneti, & decif. 14. nu. 2. & 3. eodem tit. in antiquis, Aeneas de Falconibus in tractatu de reseruatione quæst. 2. principali, sub num. 12. vers. sexta, de beneficijs exemptis. Puteus decif. 420. incip. 12. die Octobris num. 2. lib. 3. Simonet. de reseruatione quæst. 46. numer. 5. Cardinalis consil. 112. dubio 5. Paulinus in tract. de officio, & potestate Capituli Sede vacante, 2. par. quæst. 2. sub num. 16. Ferretus consil. 11. num. 1. vol. 1. Parisius de resignatione beneficiorum libr. 7. quæst. 11. numer. 3. qui etiam in lib. 2. quæst. 11. numer. 20. simpliciter dicit, quòd talia beneficia exemptorum sunt reseruata, pro quibus etiam facit decif. Cassad. 8. num. 4. de præbendis post Abb. in cap. 2. nu. 7. in fine de concess. præbendis, vbi scripsit, quòd quando collator negligens in conferendo est exemptus, potestas conferendi deuoluitur ad solum